

Appendix. — Europa Nro. 18.

Regnum Mortuorum.

Dialogi Politici Mortuorum.

In Elisio 16. Febr. 1808.

Congeries hominum, quos terra Bohemica nutrit.
Regnum constituit, bellicque perenne theatrum;
Gens armis fortis, fulcrum virtutis et artis,
Hanc regere, Habsburgae decus est et gloria Stirpis.

Umbrae loquentes.

Libussa. — Comitissa K. ex Bohemia.

Comitissa. An licet cum prima patriae meae Principissa loqui.

Libussa. Felix adventus, mihi semper solatio est, nobilem quampiam personam ex patria mea videre, praesertim nostri sexus.

Comitissa. Patria nostra etiam sexui nostro multa debet; Urbs Praga tibi suam in acceptis refert existentiam; historiam Amazonum renovavit in Europa una Mulier Bohemica.

Libussa. Historiam Amazonum? quid hoc?

Comitissa. Vlasta, tua condam Ancilla, voluit per fas et nefas mariti tui Primislai uxor fieri, ast ille nullam erga illam sensit inclinationem. Vlasta excitavit ad haec tumultum, adtraxit ad se gregem mulierum, exstruxit arcem *Divin* in silvis, et se Principissam proclamari jussit; voluit regimen maliebre in Bohemia formare, et armavit legiones Mulierum. Sed dum Primislaus arcem hanc appugnasset, illa in eruptione vitam amisit, et arx eversa est.

Libussa. Ego aliquid de re audivi. Impudica mulier! coram me tectus erat casus hic, ne cordis dolore afficiar. — *Comitissa:* Patria nostra multos genuit viros litteratos. Ante 27. annos edidit unus eorum vitae tuae historiam cum effigie, quod opus gloriam nostram aeternitati tradet. — *Libussa:* Quantum solatium tam eruditam videre Patriotissam. In Bohemia debet adesse thesaurus eruditionis (audite Bohemi) et sexus noster me multum interessat.

Comitissa. Volo tibi aliqua lineamenta Statisticae Patriae nostrae communicare, quae non ego, sed Borussus quidam, adeoque noster antagonista fecerit. — *Libussa* Sum cupida audiendi. — *Comitissa.* Bohemia habet arealem extensionem 951 quadratorum milliarium, situs ejus in tota monarchia Austraca est elevatissimus, montibus undique circumdatus, terra est argillosa, tritico quam siligini aptior; Bohemia alit suos, et evehit etiam fruges. Populatio Bohemiae est 3,015,614, ergo ad unum quadratum milliare 3168 capita.

Libussa. An etiam industria adest? — *Comitissa.* In hac superavit omni aetate reliquas provincias. Cultura lini est magna. Inter producta Bohemiae nominatissimum est *Humulus*, taceo de ferro, marmore, lapidibus praetiosis, aquis mineralibus, et materia vitrea; relate ad postremum articulum Bohemia est in orbe celebris.

Libussa. Sed Industria? — *Comitissa.* Manufacturae lini et telae sunt primae, filatura, quod nostro sexui honori cedit, est adeo perfecta, ut nulli regioni cedat; hinc sunt in Bohemia 320000 filaturae, 80000 Fabricantes, et 40000 sedes textoriae; tela producitur ad valorem 20 millionum florenorum. Ante vendit Bohemia telam Silesitis, qui eam dehabant, et praeparabant; jam nunc loca dealbationis in ipsa Bohemia 2800 existunt. In lana laboratur Pragae, Culenbergae, Graecii, Pirksteinii, Reichstadii, Josephopoli, Cocharicz, Niemen, Eger etc.

Libussa. Haec me salatio abripiunt; et quid in lana? — *Comitissa.* Fabricae panni sunt in Neugodin, Osseg, et notanter Reichenberg, ubi 750 magistri sunt, et annue 30000 frusta panni conficiunt. Filatura lanuae accipat 70000 hominum. Pannifices 13000. Fullones 295. Panni Tonsores 699. Textores alterius sortis 4796. Vitra nostra in toto mundo nota; linum, tela, ligna, aqua omnia sunt huic fini aptissima; Felix Bohemia.

Comitissa. De sexu nostro taceo, non enim decet, semetipsum laudare; satis esto, mulieres nostras omnibus qualitatibus praeditas esse. Sub glorioso Francisci Imperatoris regimine Bohemi omnes praecellunt amore, fide, et felicitate. Hic est status Regni, cui tu condam imperabas. — His dictis ambae recesserunt in lucum, et legerunt in Ephemeridibus publicis, quae sequuntur.

Diarium Politicum.

Magni Politici praesagiunt potentem Reformationem extra Europam, quae cum tempore in Europam quoque, quae undecies minor est, quam America, vires suas reactivas exeret? Ex diversis datis, quae Gubernium colligit,

prodit
nis tri
morus
Terra
quae a
tium m
ad 6.
et pec
invest
ones;
hones
region
ricand
dulo i
leatis.

1
roc,
14 eju
locum
glia s
cum t
suam
crevit
subsi
proba
quae
jus da
di, ut

tinent
ad M
sunt
fretur
tur, c
mibu
ferrer
mare
cludi
cium
mens

ut di
benef
stit i
expo
est:
natur

prodit, populationem Unitorum Statuum Americae a 20 annis tribus millionibus animarum auctam esse. Numerus domorum est duplo major; sunt enim acta domus 1,225,000.— Terra, quae nunc colitur, calculatur ad 2,400,000 Jugera, quae ante 20 annos vix unum millionem constituebant; pretium medium unius jugeri Agri ab uno piastro assurrexit ad 6. Equi a numero 60000 multiplicarunt se ad 120000 et pecus cornutum ab 1200,000 ad 3 milliones. Mercium invectarum quantitas ab 11,000,000 assurrexit ad 80 milliones; et evectio productorum domesticorum a 9 ad 42 milliones, et pecunia currens a 10 ad 12 milliones. Accolae regionum littoralium Europae! dicite prohibus vestris; Americanos ad vos olim venturos victores; exercete vos sedulo in armis; ut eis, quamdiu possibile est, resistere valeatis.

Novo Eboraco scribitur de 24. Decembris, D. *Monroe*, qui Legatus Statuum Americanorum Londini fuerat, 14 ejusdem mensis cum consorte, et filia ad *Norfolk*, locum quippe suum natalem, appulisse, qui iter ex Anglia spatio 28 dierum perfecit. Exceperunt cum Patriotae cum triumpho pro ratione, et dignitate, qua is functionem suam in Anglia exécutus est. — Senatus Americanus decrevit: Ut omnes naves in portibus americanis sequestri subsint, quod in congressu statuum votorum pluralitate probatum est. Ab hoc rigore excipiuntur naves illae, quae immediate dispositioni Praesidis subsunt, cui etiam jus datum, apud Inspectores teloniorum oportuna disponendi, ut executioni hujus Decreti serio invigiletur.

Riga 5. Februarii: Quid nobiscum fit? Nos de bello continentali nec somniamus. Exercitus quidem est in hibernis ad *Nemenum*, ejusque vicinia; sed etiam gallicae legiones sunt in Borussia. — Prima cura Russiae esse debet, ut fretum Oresundicum, et utrumque Balticum Anglis occludatur, quia secus Angli penetrarent in mare Balticum, et omnibus portibus russicis, ac ipsi Petropoli periculum adferrent, quia omnes portus russici ita structi sunt, ut in mare procurrant; ut vero ingressus in mare Balticum praeccludi possit, non tantum Seelandia, sed etiam littorale Svecicum concurrere debet. Svecia hunc in scopum usque menssem Majum indubie per Russos et Danos convertetur.

Unicum, quod Europa in moderno rerum statu, seu ut dici amat, *de praesenti*, praeter renunciationem omnibus beneficiis commercii cum Anglia, observare debet, consistit in uno simplicissimo medio, quod nec nova sacrificia exposcit, nec diu sine effectu manere potest. Hoc medium est: ut illa mala primae naturae, quae in Angliam ex innaturali ejusdem situatione promanant, ad summum gra-

dum eleventur, et in Continente indicia studiose observentur, ex quibus cognosci potest, ubi Anglia morbo laborare primum incipiat, et quae sint illa mala, quae diu minime sustinere potest. Quod hactenus chimera fuit, quamdiu nempe neutralitas navalis viguit, exopt poterit verum evadere, ac realitatem obtinere; Opulentissima hactenus pro Anglia fuerant maria ultra Promontorium Bonae spei, et intra fretum oresundicum; Maria Indiae orientalis marebunt quidem brittico commercio aperta, et poterunt plane jus exclusivum ad mercem habere, quae ex India occidentali veniunt, ast recte hoc ipsum est, quod maxime systemati continentali favet, si *Sunda* claudatur, quo plus enim mercium talium invehitur, et quo minus evehitur, tanto certior est catastrophe. Merces levi pretio, multitudo captivum, nullitas speculationum, assecurationis interruptio, diminutio vecturae, horum malorum unum sequetur alterum. Defectus frumenti, et lignorum navalium, quorum inventio ab extus interrupta, erit secunda linea adgressionis. Adhaesio penes manufacturas perimet nova capitalia, et generabit novas calamitates. et proventus, quos gubernium ex evectioe percepit, successive cessabunt. Defectus diplomaticarum operationum producet defectum sumptuum pro gubernio, atque adeo novas divitias ad inactivitatem damnabit, quia nec mutuum, nec profusio schaedarum necessaria futura est. Pacificationes separatae, et potentiarum europaearum inter se collisio, ac unius aut alterius a communi sistemate retractio esset forte adhuc ultima, sed vana spes; nam quaestionis contraversae decisio non a Gallia sola, sed etiam a Septentrione jam nunc dependet; nunc, ubi Dania cum Russia rem communem facit, reparatio libertatis marium quodvis gubernium etiam in separato afficit, et certo plus interest Angliae aquilonares *Sundae* oras retinere, quam totum oceanum, et ipsum canale Britticum, alias *Manche* dictum.

Biographia.

Libussa Cracii. Principissa Bohemiae saeculi 8. Haeres regni, illud aliquo tempore in coelibatu ipsa regebat. Sed populo Regem postulante, illa maritum sequenti ratione delegit; dimisit nempe sonipedem suum album liberum in campum cum declaratione, eum futurum esse maritum suum, coram quo, super mensa ferrea prandente, equus hic substituerit. *Primislaus* arabat in campo, et comedeat panem suum super vomere, coram quo equus substitit, factusque Rex, et post mortem Reginae solus Regni Haeres. *Primislaus* dicitur fuisse Dominus pagi *Stadicz*, sed more illius temporis arare solitus. *Libussa* posuit prima urbis *Praegae* fundamenta, et quia de futuris vaticinari solebat, *Sibilla Bohemica* nominata.